



SANctus Maximinus magna eruditione & sanctitate apud Rheniaccolas suo tempore, Anno trecentesimo nonagesimo extitit. Nam in his locis, quæ Galliam uersus sita erant, Christiana religio iam antea à uiris doctissimis & Apostolorum discipulis plantata, atq; paulatim aliquot Ecclesiæ erectæ fuerant. Verùm eæ ob frequentes Barbarorum & gentium irruptiones aliquoties dissipatæ fuerunt. Itaq; S. Maximinus eas renouauit, atq; unidic; Christi doctrinam sparsit. Vnde Treuerensis Ecclesiæ Episcopus ordinatus est. Eam magna dexteritate administrauit, atq; lupos rapaces uerbo Dei abegit. Eo tempore Arriani suum uirus ubiq;

effuderant, atq; multos Christianorum in suam sententiam pertraxerant. Itaq; S. Maximinus unà cum S. Seruatio Tungrensi Episcopo, atq; Marino præsule Moguntinensi, Anno 399 Colonia Agrippinorum Synodum celebrauit, & in multorum Episcoporum præsentia Arrianismum cum suis sectatoribus damnauit. Cum hoc modo piè perseueraret, tandem uitam cum officio reliquit, & æternam gloriam intrauit. In ea ecclesia ob eius antiquitatem & excellentiam à Francorum regibus Archiepiscopatus, & tandem ab Ottone 3 Cæsare, Electoralis dignitas constituta fuit, quam successores etiamnum magna gloria retinent. Anon. in Episc. Mog.